AN *Papistæ rectè appellentur Catholici? Nominis* levis est jactura, si *res* adsit. In re est momentum omne. Non est nexus inter nomen & rem individuus. *Res* certa est-*nomina* verò rerum incerta & voluntaria. *Nomina* sine rebus sunt sonora mendacia. Multi nomen habent, rem non habent. Dictum jam olim Ecclesiæ Sardicensi, dictum Laodicensi: Hujus Episcopus de se jactabat magnificè: *Ego ditatus sum, & nullius rei egeo. Quid virum juvabat?* Vox ê cœlo sonabat: *Non nosti, te esse ærumnosum, esse miserabilem, & pauperem, & cæcum, & nudum?* Apoc. 3. v. 17. *Marcionitæ & Valentiniani* Catholici dici volebant: volebant *Donatistæ*, volebant *Ariani*, teste Lorino in Act. 20. *Tandem omnes Hæretici volunt videri & dici Catholici*, apud Augustinum contra Epist. fundam. cap. 4. Simon Magus vulgo dictus erat magna Dei potentia. Ita enim populum dementabat, ut, quod Deo proprium est, transferret in creaturã. Catholicũ est, quod καθ' ὅλον seu per omnia consentit cũ Verbo Dei & perpetua Ecclesiæ interpretatione, quemadmodum Donatistis concedit Augustinus epist. 48. *Quod ubiq; quod semper, quod ab omnibus creditum est*. Vincentius Lirinensis Commonitor. adverſ. hæreticos cap. 3. & repetit Bellarminus lib. 4. de Eccles. c. 7. §. 1. Et Pius II. in Actis Concil. Basil. lib. 1 fol. 9. *Catholica fides, id est, universalis fides, non universalis dicitur, quod universi eam teneant,*